

CAPUT III.

DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

324. Cum juxta Florentinum Concilium de cr. Union. §. *septimum*, ut sæpe hæctenus retulimus, causa efficiens matrimonii sit mutuus contrahentium consensus, et Tridentinum Sess. 24. de reform. Matr. eundem consensum non obscure requirat, ordo postulat, ut explicata matrimonii natura, de hoc consensu, quantum ad forum Theologiæ scholasticæ pertinet, disseramus.

ARTICULUS I.

AN AD VALOREM MATRIMONII SEMPER NECESSARIUS SIT CONSENSUS CONTRAHENTIUM, ET QUALIS ESSE DEBEAT?

325. Non est hic quæstio, utrum ad matrimonium *in fieri* sive *ut contractus* est, necessarius sit absolute et semper consensus contrahentium: certum enim est matrimonium hæc sensu sumptum sine consensu mutuo nunquam haberi posse, cum uti contractus alii, ita matrimonialis constet ex consensu mutuo ceu partibus essentialibus, eumque includat formaliter; at causa formalis a nulla causa extrinseca, nequidem divinitus suppleri potest; alias enim cum causæ formalis sit constituere ipsam rei essentiam, si res sine sua causa formali existere posset, etiam posset sine essentia existere. Nec quæritur de matrimonio, *ut sacramentum* est; hoc enim in ipso contractu consistit; si igitur sine eo consensu haberi non possit contractus matrimonii, nec haberi poterit sacramentum. Solum quæstio procedit de matrimonio *in facto esse*, sive ut dicitur *vinculum* ex contractu relictum, quo conjuges copulati et adstricti manent nexu indissolubili.

326. *Dico I.* Ad matrimonium etiam sub ratione vinculi, adeo necessarius est mutuus consensus, ut ejus defectus saltem nulla sive seculari, sive ecclesiastica potestate suppleri possit.

Ratio est: quia nulli potestati create a Deo potestas hæc concessa est; non enim a Deo datur potestas in destructionem, sed ædificationem boni communis; talis vero potestas boni communis destructiva esset; cum matrimonia inter invitos et repugnantes facta impediunt amorem mutuum ad procreationem prolis ejusque rectam educationem necessarium; producant mala maxima, perpetua jurgia, fornicationes, homicidia, etc. Unde et nunquam Ecclesia, aut Respublica aliqua tali potestate usa fuit, quæcumque suaderet necessitas, ut uteretur.

Dixi: saltem nulla sive seculari, etc. Deum enim posse tale vinculum inducere inter marem et feminam sine illorum consensu, videtur verosi-

milius; potest enim Deus tradere viro potestatem in corpus mulieris, et vicissim absque utriusque consensu; cum majus habeat dominium in corpora conjugum, quam ipsimet; sed ex facta illa traditione resultaret vinculum conjugale, sicut resultat, dum vir mulieri, et mulier viro hanc potestatem tradit. Nec obstant tunc mala sequi nata, dum mas et femina junguntur reluctantes et inviti; cum Deus æque animorum sit Dominus, quam corporum, ac proinde inspirare iis possit amorem mutuum, quo ea mala præcaventur.

327. *Obj.* Validum habetur matrimonium sub conditione impossibili; quia conditiones impossibiles appositæ matrimonio pro non adjectis habentur c. fin. de condit. appos. sed tunc potuit nullus fuisse consensus in matrimonium. Et similiter ante Tridentinum sponsalia, si accessisset copula, transibant in matrimonium: sed et tunc abesse consensus potuit; ergo Ecclesia ejus defectum supplere potest. Deinde potest Respublica ex dominio quod habet urgente necessitate in corpora civium, subditum reluctanter tradere in servitutem; imo in mortem; ergo etiam in matrimonium.

Ad 1^{am}. R. Validum haberi tale matrimonium pro foro tantum externo, quia præsumit adfuisse consensum, et conditiones tales, utpote nugatorias, vult pro non adjectis haberi; quia supponit eas non serio, sed ex joco, vel sub modo et pacto tantum, si turpes sint, adjectas fuisse; unde, si reipsa consensus defuerit, hunc non supplet Ecclesia, et coram Deo nullum est matrimonium. Idem est de sponsalibus, quæ accedente copula ante Tridentinum transibant in matrimonium, scilicet pro foro externo tantum, quia Ecclesia præsumebat, copulam habitam fuisse affectu maritali, adeoque cum consensu in matrimonium; non tamen in foro interno et coram Deo verum erat matrimonium, si reipsa consensus defuisset.

Ad 2^{am}. R. N. *Cons.* Quia primum exigere potest bonum commune; non vero secundum.

328. *Dico II.* Consensus debet esse 1^o. *verus*, non fictus; contractus enim ut sic natura verum consensus postulat, velut utroque jure sancitur: civili, quod docet, quamdiu in nobis non fuerit animus rem deferendi, vel transferendi in alium, tamdiu in nostra manere potestate L. *Possideri* §. Quod si servus. ff. de acquir. vel amitt. possess. ubi: *constat possidere nos, donec nostra voluntate discesserimus*. Et L. *Obligationum* ff. de A. et O. substantia obligationis ponitur in animo se obligandi. Sancitur etiam jure canonico; can. 22. q. 23. *Non debet, inquit, aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem; quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni.*

2^o. *Deliberatus*, id est, cum cognitione et advertentia, quæ sufficit ad mortale; hoc enim obligationis gravitas, quæ ex matrimonio contrahitur, exigit. Item *mutuus*, et verbis, vel signis sufficienter expressus, juxta Florentin. in Decreto; utriusque enim parti innotescere debet, ut acceptari possit. Porro saltem *moraliter simultaneus*, h. e. utriusque consensus non debet necessario coexistere et poni simultate physica, sed moralis simultas sufficit, id est, ut, postquam pars una consensum dedit, altera ex intervallo consentiat, modo consensus prior adhuc perseveret habitualiter, sive non sit revocatus; talis enim simultas moralis cæteris in contractibus suffi-

cit; et intervallum medium non vitiat obligationem L. 1. ff. de V. O. Quoad matrimonium vero nulla extat in ullo jure exceptio. Denique debet esse publicus, non clandestinus, ubi viget constitutio Tridentini matrimonium clandestinum irritantis: liber ab errore et metu, de quibus partim hoc cap. partim suo loco uberius disseremus.

ARTICULUS II.

UTRUM CONSENSUS CONDITIONATUS SUFFICIAT AD MATRIMONIUM?

329. *Observandum I.* Consensum in matrimonium præstari posse cum demonstratione; cum causa; cum modo; cum conditione. Cum *demonstratione* præstatur, si apponitur signum, personæ, quacum contrahitur, qualitatem exprimens, fierique solet per particulas relativas, *qui, quæ, quod*, ut: duco te, quæ nobilis, dives es. Cum *causa*, dum apponitur signum exprimens motivum, quod operantem impellit, et denotatur per particulam causalem *quia*, ut: duco te, quia de tali stemmate oriunda es. Cum *modo*, quando signum apponitur expressivum oneris, vel obligationis, quæ imponitur, vel effectus, qui speratur, vel finis, qui intenditur; fitque per particulam *ut*, velut: duco te, ut hanc dignitatem per te obtineam. Cum *conditione*, si detur consensus, sed tantum sub conditione, si quid positum fuerit, ac proinde per particulam *si* indicari solet; ut: duco te, si pater tuus consenserit. Nec modus, nec causa, nec demonstratio *per se* impediunt, quominus actu vere fiat matrimonium, cui apponuntur, cum errorem tantum accidentalem inducant L. 17. 33. ff. de condit. et demonstr. Et ratio est; quia non impediunt, quominus consensus feratur in id, quod ad matrimonii substantiam pertinet, sive vera sit causa, demonstratio, modus, sive non, ut cum dicitur: duco te, quæ, vel quia nobilis es; sive vere sit, sive non sit nobilis, semper occurrit ejus corpus, quod acceptatur, et in quod fertur consensus tanquam in substantiam. Dixi: *per se*; nisi videlicet habeant rationem conditionis, cui contrahens alligavit consensum; quia tum idem sentiendum, quod de conditione, de qua nunc.

Observandum II. Licet attento sensu juris ea sola sit strictè dicta conditio, quæ actum, vel contractum, cui adjicitur, ejusque obligationem in futurum eventum dubium suspendit, sive conditio de futuro contingenti §. sub conditione. Inst. de V. O. latius tamen hoc loco sumitur conditio, prout includit etiam alia conditionum genera; et definiri potest: *adjectio apposita suspendens, vel resolvens dispositionem actus vel contractus, ejusque, quæ ex illo nascitur, obligationem.*

Conditio sic latius sumpta 1º. dividitur in conditionem de præterito, de præsentem, de futuro. Conditio de *præterito* est; quæ dispositionem resolvit, et dependentem reddit ab aliquo, quod extitit; ut, duco te, si pater tuus mortuus sit: de *præsentem*, quæ ab aliquo, quod sit actu; ut, si nobilis es: de *futuro*, quæ ab aliquo, quod extitutum sit. 2º. In possibilem et impossibilem. *Possibilis*, quæ evenire, et non evenire potest. *Impossibilis*, cujus eventus dari non potest, sive ex *natura rei*, ut, si hircocervum ceperis; vel ex *statu*, ut si vere pauperi dicas: si principatum in dotem attuleris, mille aureos

numeraveris; vel *de facto*, ut si montem aureum attuleris in dotem. Huc pertinet conditio, quæ dicitur impossibilis *de jure*, alias dicta conditio *turpis*; quod enim non licet, id nec posse censemur, L. 5. de Condit. instit. Hæc, si adversetur uni ex tribus matrimonii bonis, id est, generationi aut educationi prolis; vel fidei conjugali; vel individue vitæ societati, est *turpis repugnans substantiæ matrimonii*; ut si sub quæstu adulterandam te tradas; per poculum sterilitatis, procreationem abortus, generationem prolis evites, etc. 3º. In necessariam et contingentem. *Necessaria*, quæ est certo extitura, sive ex natura rei, ut si cras sol oriturus sit; vel ex revelatione, ut si Antichristus venturus sit. *Contingens*, cujus eventus est dubius; si hic pendet a libera voluntate partis, quacum contrahitur, ut si religionem catholicam amplecti volueris, dicitur contingens *potestativa*; si a voluntate tertii, ut si Titius te hæredem scribet, *casualis*; alias erit contingens simpliciter. Quæritur nunc, an, vel quatenus dictæ conditiones appositæ contractui matrimoniali reddant hunc invalidum, vel suspendant?

330. *Dico I.* Matrimonium sub conditione repugnante substantiæ matrimonii est nullum. Patet ex c. fin. de condit. appos. ubi GREGOR. IX. sic decidit: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditioem: aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Pro quo

331. *Observa:* ad matrimonium ex institutione divina essentialiter tria requiri: *primum* est ejus indissolubilitas, sive vinculum perpetuum. *Secundum*, fides mutua conjugalis, h. e. obligatio non adulterandi; et reddendi debitum, si ab altero conjugate legitime exigatur. *Tertium*, obligatio non impediendi generationem prolis, eamque, si nata fuerit, educandi. Ideo nullus est contractus juxta c. fin. cit.: *contraho tecum, donec invenero ditioem, ut adulterandam te tradas, ut sterilitatem procures, etc. vel natam prolem occidas; primus enim vinculo perpetuo, sive matrimonii indissolubilitati; alter fidei conjugali; postremus bono prolis positive adversatur.*

Ratio a priori conclusionis est; quia non potest simul stare consensus in substantialia matrimonii, et consensus in aliquid matrimonii substantiæ repugnans: unus enim tollit et destruit alterum. Quomodo tamen substantiæ matrimonii non repugnet in conjugibus votum servandi castitatem, vid. sup.

332. *Dico II.* Conditio possibilis de præterito vel de præsentem, contractus matrimonialis valorem non suspendit: sed vel statim nullus est non existente conditione; vel statim valet ea existente.

Ratio est; quia contractus ex voluntate et conventionem contrahentium legem accipiunt juxta R. 83. in 6., ergo si contrahentes consenserunt sub conditione nobilitatis, paternæ mortis, etc. his existentibus statim nascitur obligatio; vel nullus est contractus iis non existentibus; quia sub his conditionibus præcisè se obligare intendunt.

333. *Dico III.* Conditio impossibilis adjecta matrimonio illud saltem pro foro externo non vitiat.

Patet ex c. fin. de condit. appos. quo dicitur: alie conditiones appositae in matrimonio, si turpes et impossibiles fuerint, propter favorem ejus debent pro non adjectis haberi; tunc enim, nisi aliunde constet contrahentes serio eas adjecisse, Ecclesia in dubio praesumit, contrahentes solius joci causa ejusmodi conditiones adjecisse, et potius serio contrahere voluisse, quam invalide; proinde non defuisse consensum; et merito, ne forte separentur, qui legitime conjuncti sunt, et aliis jungantur per matrimonium illegitimum. Limitavi tamen conclusionem pro foro externo; aliter enim pro foro interno sentiendum est, si revera serio tales conditiones adjiciant, et vere suum consensum tali conditioni alligent, ut sine illa non intendant contrahere; tunc enim nullum erit matrimonium ex defectu consensus: quin hoc ipso, quod se non nisi in eventum nunquam futurum obligaverint, patet, eos se obligare omnino non voluisse; idque multo magis verum de conditione impossibili de praeterito, vel praesenti.

334. *Dico IV.* Spectato foro externo, valet etiam matrimonium regulariter statim ut absolutum, cui apponitur conditio impossibilis de jure sive turpis de futuro, non repugnans substantiae matrimonii. Habetur iterum ex c. fin. saepe cit.

Dixi tamen 1^o. regulariter, scilicet si dubium sit, num serio, an joco adjecta fuerit conditio; si enim aliunde constet serio adjectam fuisse cum animo suspendendi matrimonium usque ad conditionis eventum, nec pro foro externo valebit; praesumptio enim Ecclesiae, qua hic praesumit contrahentes voluisse juxta mentem Ecclesiae, et sine peccato contrahere, non est praesumptio juris de jure, quae probationem in contrarium non admittat.

Dixi 2^o. turpis de futuro; si enim sit de praeterito vel praesenti, valebit per se conditione posita; ea vero non posita non valebit pro utroque foro.

Dixi 3^o. et iterum spectato foro externo; nam pro interno suspenditur matrimonii valor et obligatio, si contrahentes revera non aliter, quam in eventum talis conditionis se obligare intenderint; cum enim consensus sit de essentia matrimonii, sicut contractus cujuslibet, non potest valere matrimonium ut absolutum, ubi absolutus consensus non est.

335. *Dico V.* Matrimonium sub conditione de futuro necessaria, est absolute validum.

Ratio est: quia talis conditio est de facto determinata in sua causa, estque moraliter praesens et impleta, eo quod futuritio ejus de facto insit rei. Praeterea ejusmodi conditio censetur addita non tam ad consensum suspendendum, quam ostendendam illius certitudinem, ut sensus sit: sicut certum est e. g. solem cras oriturum, sic certum est, quod te ducere velim. Pro foro interno tamen mens ipsa contrahentis spectanda est, an non verba talia, si cras sol oriatur, ita intelligat, ut velit indicare tempus, quo cras sol oriatur; tunc enim non valebit contractus ante diem crastinum.

336. *Dico VI.* Matrimonium sub conditione honesta, indifferente, aut

contingente de futuro non valet absolute ante eventum conditionis, sed usque ad hunc suspenditur: quia contrahentes non intendunt se obligare, nisi post eventum conditionis; actus vero ultra intentionem agentium non operantur. Et quoad hoc satis inter Doctores convenit: solum controvertitur inter eos, utrum matrimonium sub tali conditione de futuro contractum, conditione posita statim convalescat absque consensu novo, si modo prior consensus non fuerit revocatus? Unde

337. *Dico VII.* Probabilius est, matrimonium sub conditione honesta, indifferente, aut contingente de futuro, posita conditione consequi valorem absolutum tam in ratione contractus, quam sacramenti sine novo consensu, modo prior revocatus non fuerit.

Ratio est 1^o. Quia est haec omnium aliorum contractuum, etiam sponsalium natura juxta communem auctorum, ut sub tali conditione celebrati ea purificata acquirant valorem absolutum sine consensu novo, modo consensus prior ex nullius parte revocatus sit L. 11. ff. qui potior. in pign. L. 7. ff. de contrah. empt. Ergo etiam matrimonium, quod naturam contractus retinuit. 2^o. Quia consensus ille, cum in eventum conditionis relatus sit, usque ad hunc perseverat moraliter, sicut in eo, qui per procuratorem contrahit; igitur posita conditione non minus obligabit, quam si de novo poneretur. 3^o. Quia sic declarasse S. Pium V. et Clement. VIII. refert Fagnan. in c. Super eo. L. 5. n. 36. h. t. ut adeo haec sententia sit authentice declarata.

338. *Obj. I.* Actus legitimi non recipiunt diem aut conditionem, c. 50. in 6. L. 77. ff. de R. J. atqui matrimonium est actus legitimus; ergo

R. D. Maj. Actus legitimi, h. e. qui vel ex dispositione juris diem aut conditionem excludunt; vel ex natura sua ob certam verborum formam praescriptam vel a jure humano, vel divino ut in reliquis sacramentis C. alii actus N. Per actus legitimos in c. RR. illi actus intelliguntur, quibus ex dispositione juris non licet conditionem adjicere; tales sunt in jure specialiter expressi, ut cit. L. 77. emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris; et in jure canonico c. 2. de Elect. in 6. electio: item illi actus, quibus certa verborum forma praescripta est, ut in sacramentis caeteris: non vero per actus legitimos intelliguntur contractus secundum se, vel actus in jure specialiter non expressi; proinde nec matrimonium, cum nec specialiter quoad exclusionem conditionis exprimatur in jure; nec certa verborum forma constet; nec ex natura sua sit exclusivum conditionis; quin ipso jure imbitam habeat conditionem intrinsicam: nisi Religionem intraverit.

339. *Obj. II. c. Super eo 5. h. t.* statuitur, eum, qui matrimonium inicit cum muliere sub conditione consensus paterni, ante illius eventum ad matrimonium contrahendum cogi non posse; inferitur: ergo hac eveniente ad illud contrahendum cogi poterit. *Subs.* atqui non contrahitur matrimonium nisi per consensum; ergo cogi eo casu poterit ad ponendum consensum novum.

R. D. Ant. Et Pontifex ibi contrahere sumit, pro ponere consensum N. pro

perficere contractum, h. e. *consummare matrimonium*, ut sensus sit ad matrimonium consummandum cogi non posse *C.* Quæsitum enim fuerat, utrum talis ante eventum conditionis cogi possit ad matrimonium consummandum, ut patet ex Rubrica; ergo per *τὸ contrahere* intelligit consummare; alias responsum interrogationi non concordaret. Vel, si tamen contendas, Pontificem velle, ut iterum *contrahatur*, eumque de contractu novo loqui, dici potest, id factum ideo, quod dubium fuerit, annon prior consensus fuerit ante conditionis eventum revocatus.

340. *Inst. 1.* In c. cit. dicitur, quod consensus pendens ab eventu futuro non sit habendus pro consensu de præsentī: atqui ad matrimonium requiritur consensus de præsentī; ergo ponendus est consensus novus.

R. *D. Maj.* Consensus pendens ab eventu futuro non est consensus de præsentī, h. e. non est absolutus et omnino perfectus ante conditionis eventum *C.* non est conditionatus, incompletus, revocabilis, quamdiu pendet conditio, et obligans ad expectandum conditionis eventum *N.* Est consensus de præsentī positus, sed conditionate, ac proinde facit matrimonium conditionatum, non nuda sponsalia de futuro.

341. *Inst. 2.* Consensus ille conditionatus præcise et tantum sponsalia de futuro constituit. *Prob.* quia si ita conditionate contrahens postea contrahat cum alia per verba de præsentī absoluta, valebit hoc secundum matrimonium: atqui non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii; nam matrimonium est ex natura sua indissolubile.

R. *N. Ant. Ad prob. min. R. D.* Non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii perfecti *C.* cum tantum valuisset in ratione matrimonii conditionati, incompleti; nec proin irrevocabiliter *N.* Matrimonium perfectum, absolutum, indissolubile est.

342. *Obj. III.* Matrimonium est inter Christianos sacramentum; ergo debet adesse signum sensibile: atqui eveniente conditione non apparet sufficiens signum sensibile. *Conf.* Cætera sacramenta novæ Legis a futura conditione pendere nequeunt; ergo nec matrimonium.

R. *N. min.* Nam signum sensibile sufficiens est ipse conditionis eventus, per quam ex contrahentium pacto eorum consensus adhuc perseverans redditur sensibilis et absolutus; conditio enim eveniens operatur idem, quod contractus pure celebratus, L. 11. ff. qui potior. in pign. L. 7. ff. de contrah. empt. §. 6. *Instit. de V. O. Ad Conf.* disparitas est; quod matrimonium retinuerit rationem contractus; hic vero conditionatus esse potest, et sine novo consensu perficitur conditione impleta.

Utrum vero in hac sententia necesse sit, ut conditio impleatur coram parochō et testibus, vel his saltem significetur ejus impletio, adhuc inter auctores controversatur. Probabilius videtur, id necessarium non esse, modo ab initio coram parochō et testibus sub conditione contractum sit; quia jam obtinetur finis Tridentini, ne deserto primo matrimonio contrahatur aliud, cum non permittit Ecclesia aliud contrahi matrimonium, nisi constet de non impleta conditione, aut revocatione consensus conditione adhuc pendente. Sic etiam in matrimonio, quod per procuratorem contrahitur, necesse

non est, ut sciat parochus et testes, mandatum esse legitime datum, non revocatum, etc. sed sufficit eos præsentēs esse, dum per procuratorem contrahitur: item in casu, quo impuberes impubertate naturali contraxerunt coram parochō et testibus dicendo, se puberes esse et potentes ad generandum, necesse non est, ut postea manifestent parochō et testibus secutam esse pubertatem. Imo juxta communem sententiam erit matrimonium absolutum, licet conditionis impletio nondum constet ipsis contrahentibus, quanquam, ut bona fide uti matrimonio possint, hæc ipsis constare debeat; cur ergo conditionis eventus constare debeat parochō et testibus? Accedit, quod Tridentinum requirat præsentiam parochi et testium, quando contrahitur matrimonium; sed contrahitur tunc, quando consensui conditio apponitur; non quando ea impletur. Et demum teste Fagnano hoc sufficienter declararunt Pius V. et Clem. VIII. pro valido habentes matrimonium per verba de præsentī sub conditione de futuro honesta contractum coram parochō et testibus, approbantes declarationem S. Congr. Cardin. Concil. Trid.

ARTICULUS III.

UTRUM AD VALOREM MATRIMONII FILIORUMFAMILIAS SIT NECESSARIUS PARENTUM CONSENSUS?

343. Affirmat Calvin. L. 4. *Inst. c. 19.* leges Pontificias, quibus conjugia inter adolescentulos parentum injussu contracta firma rataque declarantur, vocans *in Deum impias, partim in homines iniquissimas*, h. e. contra jus naturale et divinum. Distinctione Lutherus utitur serm. de Matrim. Si ex conjugio absque parentum consensu contracto jam nata sit proles, vult illud ratum esse debere; secus vero, esse irritabile pro arbitrio parentum. Brentius non parentibus, sed magistratui potestatem tribuit irritandi, vel confirmandi matrimonia a filiis inita parentibus sive invitis, sive insciis; singuli vero se jure *naturali et divino* fundari contendunt.

Concordi e contra sententia nunc præsertim post Tridentinum tenent Catholici, nec *jure naturali*, nec *divino* irrita esse dicta matrimonia, licet illicita, si absque justa causa ita filii contrahant; et solum inter eos post Trid. orta fuit quæstio, an S. Synodus decreto suo Sess. 24. de ref. Matrim. c. 1. dogma definire voluerit duntaxat contra Novatores, qui docuerant matrimonia, ex defectu consensus parentum utroque jure, *naturali et divino* irrita esse, ideoque parentes ex utroque hoc jure posse ea rata facere, vel irrita; vel utrum præter dogma illud contra hæreticos voluerit generalem disciplinæ legem proponere, qua deinceps dicta matrimonia in tota Ecclesia rata, firmaque haberentur? Negarunt hoc posterius nonnulli Doctores Galliæ, existimantes, decreto Tridentini solummodo contra Novatores definire, non posse parentes jure naturali et divino rata, vel irrita facere sine suo consensu contracta a filiis matrimonia; nihil vero statui de privatis provinciarum, vel regnorum legibus, quibus ea matrimonia vel rata haberentur, vel irrita; proinde eo decreto nullum præjudicium inferri legibus Galliæ, quibus irritata esse talia matrimonia putabant.